# [illegible] Vorbereitungsschule für die Sekunda eines Gymnasiums zu Inowraclaw,

durch welches

## zu der öffentlichen Prüfung

am 8. April 1857

die Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens und der Anstalt, die geehrten Eltern und Angehörigen der Schüler


ehrerbietigst und ergebenst einladen

**Dirigent und Lehrer-Collegium.**

---

## Inhalt:





Inowraclaw, 1857.

Gedruckt bei M. Latte.

# Observationes de usu Ciceroniano omittendi verbi substantivi „esse“.

## PARS I.

Cum nemo grammaticorum, quod sciam, id dicendi genus, quod ego sum tractaturus, ita illustraverit, ut non modo leges, quibus contineatur, constitueret, verum etiam exempla in certos ordines describeret descriptaque illustraret: non ingratum mihi videbatur in hanc partem grammaticae accuratius inquirere. At ne quis inducat animum, me tantos sumere spiritus, ut quaestionem, quam viri doctissimi non nisi hic illic leviter in transitu attigerunt, totam absolvam; mihi modo ea erat mens, ut collecta quam plurima e Ciceronis scriptis exempla in ordines quosdam pro viribus digererem et legibus constituendis, quibus verbum substantivum omitti soleat, viam monstrarem ac munirem. Quod quamquam sine difficultate fieri non posse sciebam, praesertim cum Libri MSS. multis locis magnopere fluctuent; tamen hanc quaestionem non omittendam existimabam sperans me ad illustrandam eam nonnihil collaturum.

Ac primum quidem animadvertendum mihi videtur, ellipticam hanc scribendi rationem, si quam aliam, proxime ad graecae linguae consuetudinem accedere ita, ut nemo sit, qui certam cognationem utriusque non agnoscat. Quod genus scribendi Ciceronianum, praeter multa alia in quibus Infinitivum praesentis Activi loco substantivorum usurpatum, Dativum cum passivis pro Ablativo cum praepositione a, ut Grammatici dicere solent, conjunctum, atque usum participiorum pono, quamvis Graecae structurae sit simillimum, tamen non a Graecis repetitum est putandum. Permulta enim sunt, quae in omnibus linguis reperiantur similia non ab alia ad aliam translata. Quae quidem Graeci Latinique sermonis similitudo maxime apparet in participio futuri passivi in conjugatione, quae vocatur periphrastica graecorum verbalium in Teon exeuntium vices obtinens.

Atque haec quidem hactenus. Nunc priusquam ad ipsum hoc genus scribendi illustrandum aggrediar, judicium doctissimi atque de scriptis Ciceronis maxime meriti viri, dico Beierum, afferam, quod in annotatione ad Lib. I cap. 8. §. 25 de Off. legitur:

„sed in verbo substantivo, sunt ejus verba, certatim inculcando prorsus intemperantes „fuerunt scribae, ut vel uni codici, citra orationis obscuritatem illud ignoranti, plus auc„toritatis tribuendum censeamus, quam centum aliis id tuentibus.“

Quod quidem judicium quamquam in universum verum est, in multis tamen exemplis norma modo a Beiero proposita servari non poterit. Is enim non nisi legum grammaticarum

ratione habita, nimium studiosus fuit in excludendo verbo substantivo; quo factum est, ut, optimis quoque codicibus hoc tuentibus, fide derogata sine religione delendum putaret, si vel in uno codice omissum invenit. Non vidit igitur, inveniri ennutiata, in quibus aut numerus oratorius aut alia necessitas verbum substantivum postulat. Propterea quaerendum videtur, unde factum sit, ut in aliis codicibus iisdem locis verbum substantivum absit in aliis positum inveniatur. Equidem de hac re ita judico. Illa diversitas, quam modo memoravi, a diversis scribarum generibus proficiscitur: aliis enim, quum usum hunc loquendi non intellegerent, omnibus locis ellipsis adeo non ferenda videbatur, ut existimarent, lacunas eas sibi esse explendas; alii contra linguae Latinae periti multis locis aut omiserunt aut addiderunt. Alii denique scribae Latinae linguae prorsus ignari ut scriptum invenerunt exarabant.

Si vero respiciamus, voculas „est“ et „esse“ per compendium saepissime (ê, êê) scriptas fuisse, non mirabimur, verbum substantivum negligentia multis locis omitti potuisse.

Sed jam ad rem ipsam transeo. Ac primum quidem orationis verbosam integritatem vel simplicissimus vitat sermo, ubicunque lex grammatica sive aliqua alia necessitas in re ipsa sita, ea quae omissa sunt, supplere cogit. Quae cum ita sint, simplicissimum genus omittendi verbi substantivi, quamvis haec nondum sit vera ellipsis, erit hoc, quod vocatur figura a p o k o i n u. Cujus quidem generis loquendi id proprium est, ut verbum substantivum aut e priore membro enuntiati, ad id quod sequatur aut e posteriore ad id, quod antecedat cogitatione sit repetendum. Affero exempla. Tusc. disp. Lib. IV. c. 37. §. 80. cum multa in conventu vitia collegisset in eum (Socratem) Zopyrus, qui se naturam cujusque e forma perspicere profitebatur, derisus e s t a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate sublevatus, Tusc. V. 40, 116. Erat surdaster M. Crassus: sed illud molestius (sc. erat.), quod male audiebat. Tusc. IV. 31, 65. Atque hoc quidem commune malorum et bonorum: tamen alia ad alium curatio s i t odhibenda, aliaque malevolus, alia amator, alia rursus anxius alia timidus corrigendus (sc. sit). Tusc. III. 19, 44 pr. Haec E p i c u r o confitenda s u n t; aut ea quae modo expressa ad verbum dixi, tollenda de libro: vel totus liber abiiciendus: Tusc. V 24, 69 Inde est indagatio nata initiorum et tanquam seminum, unde e s s e n t omnia orta, generata, concreta; quaeque cujusque generis vel inanimi vel animantis vel muti vel loquentis origo, quae vita etc. Cuique manifestum est ad postremas voces subintelligendum esse „esset“ cx antecedente numero plurali „essent“. Off. I. R. 83. Nunquam omnino periculi fuga commitendum e s t, ut imbelles timidique videamur, sed fugiendum etiam illud. cf. praeterea Off. III. c. 25, §. 42. Lib. II. §. 54. Tusc. II. 13,31. Off. III. §. 1 Fin. V. 2. 6. pr. Nat. D. II. 62, 155. ibi III. 9. 22. Quod ratione utitur, melius est, quam id, quod ratione non utitur. nihil a u t e m mundo melius.

Saepe quoque commune verbum per conjunctionem priori parti aut membro enuntiati subici solet. Veluti in hoc exemplo. Off. I. § 3. Vis enim major in illis dicendi; s e d hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus.

Idem cadit quoque in ea enuntiata, in quibus adhibetur constructio, quam Grammatici vocant Acc. cum Inf. veluti in Off. III. §. 1. nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Tusc· Lib. II. 13, 30. dum nihil bonum

(sc. dicis esse) nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe. cb. II. 6 15. extr. Ceteri praeter Zenonem . . . idem fere, quod modo tu: malum illud quidem, sed illa pejora; hoc loco sine dubio subaudiendum est „esse" non „sunt" nam post vocem „ceteri" ex antecedentibus facile verbum „dicunt" suppletur. Fin. IV. 26. 73. Itaque dicebat (M. Piso) plus tribui divitiis a Zenone, qui eas in praepositis poneret, quam ab Aristotele, qui bonum esse divitias fateretur; sed neque magnum bonum et prae rectis honestisque contemnendum ac despiciendum . . . (sc. esse.)

Haec tamen figura cum satis nota sit et non solum in enunciatis aequa potestate sed etiam in formis subjunctivis nec non in incisis vario modo compositis adhiberi soleat, non necessarium nobis videtur longius hanc rem persequi. Ad rem igitur ipsam transeamus.

Pervenimus nunc ad eos locos, quibus vera ac manifesta agnoscitur ellipsis Solet autem apud Ciceronem verbum substantivum supprimi vel potius suppleri in iis potissimum locis, quibus sine ambiguitate et obscuritate sententiae aut denique sine orationis detrimento abesse potest. Quo quidem omittendo oritur quaedam numeri verborumque elegantia, major vis atque dignitas orationis; contra ubi praeter necessitatem insertum est, oratio languescit, et numerus oratorius laborat. Obtinet autem haec dicendi ratio elliptica in iis enuntiatis, quae usu loquendi trita sunt, sicuti in proverbiis, formulis et in sermone, qui quotidianum et familiarem proxime accedit. Propterea exempla hujus generis in dialogis saepissime inveniemus. Deinde abest hoc verbum in selectis brevitusque sententiis de vita sumtis, quae definitionibus sunt simillimae.

Afferam exempla. De Fin. Lib. I. 5, 15. Sed quot homines, tot sententiae. Off. I. §. 33. Ex quo illud: summum jus summa injuria. Nat. D. I, §. 30. Ac primum, quot hominum linguae, tot nomina Deorum. Tusc. IV. 31, 65. Atque hoc quidem commune malorum et bonorum. Fin. I. 6. 20. Ne illud quidem physici, credere .. Abest autem verbum „esse" saepissime in formulis ejusmodi veluti: Hoc illud, quod nec mirum —minime mirum— deinde in formulis nihil nisi veluti Nat. D. I. § 70. Nihil horum nisi callide. Alia id genus exempla haec sunt. Illud egregium Sextii ex tempore: manus lava inquit et coena. Nat D. I. 10. 25. Atque haec quidem vestra Lucili. ibid. I. 11. 28. multa ejusdem monstra . . . eademque de sideribus, pro Planc. 35. 86. sed haec leviora, illa vero gravia atque magna. Tusc. V. 9, 26. Philosophi id quidem sed. Off. I. 42, 150. Jlliberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omniumque. Tusc. II. 20, 86. Atque ut haec de honesto sic de turpi contraria. Off. I. §. 33 extr. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara. ibid. III. s. 47. Illa praeclara, in quibus Tusc. I. s. 61. Absurdum id quidem ibid. I. 30. 74. Sed haec et vetera et a Graecis. Nat. D. III. 32. 80 sed haec et vetera et alia permulta. Tusc. I. 44, 107. durum hoc sane: illa inania. Jllud vero perquam inane. Off. I. §. 41. . . . sed fraus odio digna majore. Totius autem injustitiae nulla capitalior. Off. I. s. 37. Status dies cum hoste, adversus hostem aeterna auctoritas (sc. esto) Fin. II. 26. 82. Sed haec nihil sane ad rem. Fin. III. 2. 5. exe Atque haec quidem de rerum nominibus (sc. sunto) Fin. IV. 614 pr. Sed haec hactenus. cf. L. IV. 28. 80 V. 22. 62. pr. Sed haec in pueris. ibid. V. 32. 96. Sed mehercule pergrata mihi oratio (sc. fuit.) N. D. II. 45. 115. Nec vero haec solum admirabilia, sed nihil majus, quam

quod. Orat. II. 56. 227. Sed haec tragica atque divina faceta autem Off. I. §. 56. Nihil autem amabilius, nec copulatius quam ibi l. 64. sed quo difficilius hoc praeclarius.

Animadvertendem est autem, usum hunc in sententiis selectis in universum proferendis, verbi subst. omittendi obtinere praecipue in iis enuntiatis, quibus nihil per anaphoram repetitur. Veluti: Tusc. II. 20, 46. Nihil tam taetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius. Off. I §. 68. Nihil enim tam angusti animi: tamque parvi, quam amare divitias, nihil honestius magnificentiusque, ibid. I. §. 88. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Tusc. V. 9, 26. Nihil gravius, nihil philosophia dignius. Orat. 51, 173. Nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans. Nat. D. I. 93 Nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius: sed . .*)

Abest deinde frequentissime: fuit, fuerunt, erat, est, sunt, in iis enunciatis in quibus Cicero ingenium, facultates, bona aut incommoda sive unius sive plurium hominum adumbrat; idem fit ubi externam formam sive hominum sive animalium describit. Qua re id assequitur, ut oratio ejus appareat dignior et nervosior. Exempla hujus generis innumerabilia sunt, ego aliquot tantum proferam. In Tusc. V. 36, 103. Leviculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat. Off. I. §. 84. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris. ibid. I. §. 133 Uberior oratio L. Crassi nec minus faceta; sed bene loquendi de Catulis opinio non minor (sc. erat) ibi. III. §. 47. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Fin. V. 20. 92 Ille vero si insipiens, nunquam beatus (sc. fuit), si sapiens, ne tum quidem miser (sc. erat) quum — ad crucem ductus est. At multis malis affectus. Fin. II. 81. 103. Res tota non doctorum hominum ibi. II. §. 105. Magno hic ingenio: sed res se tamen sic habet. Jucundi acti labores. IV. 14, 36 ex. Tusc. Semper Ajax fortis, fortissimus tamen in furore (sc. fuit) Brut. 35. 122 in. Jam Q. Catulus, non antiquo illo more, sed hoc nostro, eruditus (sc. fuit) multae litterae, summa non vitae solum, atque naturae, sed orationis etiam comitas . . . ibid. 88. 301. Orat. 18. 39. actio principis oratoris ante oculos nobis ponitur his verbis: Status erectus et excelsus: rarus incessus nec ita longus: excursio moderata eaque rara. De Fin. V. 5, 13 Hujus Lyco oratione locuples, rebus ipsis jejunior. Concinnus deinde et elegans hujus Aristo. Nat. D. I. 13, 24. Nec vero ejus condiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior. ibid. I. s, 84. 93. 97. ibid. I. §. 110 Virtus autem actuosa et deus vester nihil agens: expers virtutis igitur. Ita ne beatus quidem ibid. I. 11. 31. II. 15, 40. N. D. I. 15. 41. II. 29, 73. II. 49, 126 pr. II. 51, 113. Deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae et in mare et in femina commiscendorum corporum mirae libidines. ibid. II. 60, 150.

---

*) Ubi vero oratio graviter asseverantis invenitur, verbum „esse" omitti non solet, sicut in Off. I. 48. qua quidem nihil est naturae hominis accomdatius Laet. de amic. V. 3, 3. Nihil est tam naturae aptum. Tusc. I 39, 93 Nihil est enim perfecto homini prudentia melius.

Huic rationi scribendi subicere possumus usum omittendi verbi „esse“ in consecutione et conclusione. Quod quidem dicendi genus maxime est graviter affirmantis, qui expositis rebus audientibus aut legentibus sententiam suam tali conclusione persuasurus est. Ad hanc vero rem efficiendam plurimum valet concisa et gravis oratio. Separemus tamen hanc conclusionem, necesse est, ab ea, quae contineat necessitatem aliquam et adhibetur in conjugatione, quam vocant periphrasticam; veluti: quaecunque igitur sunt in omni mundo deorum atque hominum putanda sunt. De hoc tamen usu infra disputabo: nunc exemplis legem modo prolatam firmaturus sum. Off. I. §. 65. ex. Haec igitur opera grata multis et ad beneficiis constringendos homines accomodata. Tusc. III. 14. 30. Ergo id quidem non dubium, quia omnia. Off. I. §. 84. Praeclarum igitur illud Platonis. ibid II. §. 19. Haec ergo, ut dixi, rariora. ib. III. §. 87. Non igitur utilis illa L. Philippi A. F sententia: Turpe imperio! Piratarum enim melior fides. At aucta vectigalia. Utile igitur. Nemo non videt, supplendum in his exemplis esse aut „sunt“ aut „fuit“ aut “est“. Indicant enim hoc satis adjectiva sive in numero singulari sive in plurali adhibita. Alia ejusdem generis exempla haec sunt. In de Fin. I. 18, 59. Nemo igitur eorum non miser. ib. §. 61. Igitur, neque stultorum quisquam beatus, neque sapientium non beatus. ib. I 21. 72. Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti. Tusc. V. 6, 16. Ergo ut hi miseri, sic contra illi miseri, quos multi metus terrent. Tusc. V. 15. 45. Bonum igitur omne laudabile. ib. V. 15, 43. Atque etiam omne bonum laudabile (est cum in quibusdam codd. inveniatur, quamquam meo judicio abesse possit, servandum videtur) quod autem laetabile id praedicandum et prae se ferendum; quod tale autem id etiam gloriosum: si vero gloriosum, certe laudabile; quod l. autem, profecto etiam honestum; quod bonum igitur id honestum. Tusc. V. 16, 47. Et vita igitur laudabilis boni viri; et honesta ergo, quoniam laudabilis. ib. V. 16. 48. At semper beatus talis: semper igitur beatus, refert autem omnia ad beate vivendum: beata igitur vita laudabilis: nec quidquam sine virtute laudabile. Off. I. §. 20. ex. Itaque alter semper magnus, alter semper turpissimus. Nat. D. I. 24, 68. pr. I. 29. 80. I. §. 82. Tusc. V. c. 30. ibi. V. 40, 116. Jam vides omitti quoque verbum esse in definitionibus atque in iis enunciatis, quibus Cicero aliquam rem modo affirmans modo refellens per incisa cum copulativa tum adversativa argumentatur denique concludit. Inveniuntur tamen exempla conclusionis in quibus vocula „est“ omnibus codicibus nititur et propterea deleri non potest. Fit quoque, ut conformatio orationis aut numerus oratorius idem requirat, veluti in de Fin. II. 32, 104. Non est igitur summum malum dolor. Fin, III. 8, 27. Quod (est) bonum omne laudabile (est om. cd. M.) quod autem laudabile (est), omne (est om. cd. Mo.) honestum: quod igitur bonum honestum (Orelli ed. bonum igitur quod est honestum est). cf. Otto Lib. IV. de Fin. c. 18 et primum illud, quo nihil potest esse brevius: Bonum omne laudabile; laudabile autem omne honestum; bonum igitur omne honestum. Atque haec hactenus. Nunc ad aliud genus enuntiatorum transeamus.

Haec rarius quidem in scriptis Ciceronis invenies, attamen ea, quae mox allaturus sum, satis hunc usum firmabunt. Causa autem omittendae copulae in his enunciatis sunt adverbia tum loci tum temporis tum causae, veluti: hinc, unde, hic et alia. De Off, II. 21,75. At vero postea tot leges et proximae quaeque duriores; tot rei; tot damnati; tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum: tanta, sublatis legibus et judiciis expilatio

direptioque sociorum, ut . . Off. I. §. 86. Hinc apud Athenienses magnae discordiae: in nostra republica non solum deditiones, sed pestifera etiam bella civilia. Brut. 13, 51. Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes. Rhodi saniores et Atticorum similiores. de Fin. V c. 2. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic ejus auditor Palemo. Ad exemplum secundum aptissimum quidem esset verbum „exstiterunt" ad postremum „jacet" cum de mortuis sit sermo; sed cum talia supplere omnino non liceat, consentaneum est, in omnibus subaudiendum esse verbum „fuerunt" sunt, est, quod est generalis notionis. Confer praeterea Nat. D. III. 30, 74. Exempla vero modo prolata docent, hunc usum simillimum esse priori: utrique enim hoc est commune, quod in adumbrandis sive hominibus sive animalibus sive rebus sive denique temporibus versantur.

Quae cum ita sint non dubito hic subjungere haec exempla: de Fin. I. 18, 61. pr. Ecce autem alii minuti et angusti, aut omnia semper desperantes, aut malevoli, difficiles, lucifugi alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti.

Brut. 33, 125. in. Sed ecce in manibus vir, et praestantissimo ingenio et flagranti studio, et doctus a puero. C. Gracchus. Fin. IV. 27, 76. pr. Ecce aliud simile dissimile. Philipp. II. 25. . .

Non minus frequenter omitti quoque solet verbum substantivum in enuntiatis interrogativis, quae cum pronominibus et adverbiis interrogativis conjuncta sunt. Quod quidem in iis potissimum locis occurrit, in quibus multa ex affectu animi et motu corporis pendent. Huc pertinet quoque brachylogia grammatica interrogationis quae vulgo vocatur rhetorica: cujus figurae id est proprium, ut interrogationem responsum non sequatur, sed facile e rerum nexu suppleri possit. Divin. II. 66. 166. Quis enim auctor istorum? Off. I. §. 77. Quae res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Brut. 17, 65. Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior in docendo edisserendoque subtilior? Brut. 31, 121. Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem, ajunt philosophi, si graece loquatur, sic loqui. Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? Tusc. I. 37. 89. Num quis horum miser hodie? ne tum quidem post spiritum extremum. Tusc. I. 4 , 102. Vivos commemoro. Qualis tandem Lacaena (sc. fuit.) ibi. I. c. 43. Esto: fortes Spartiatae (sc. fuerunt) Tusc. I. 49, 117. Nam si supremus ille dies non exstinctionem, sed commutationem adfert loci, quid optabilius? sin autem perimit, ac delet omnino, quid melius, quam? Tusc. II. 6, 16. Quis autem non miser, non modo nunc quum . . Tusc. III. 12, 27. Tarquinio vero quid imprudentius, qui . . ? Tusc. IV. 23, 52. Quid Achille Homerico foedius, quid Agamemnone in jurgio? Tusc. V. 27, 77. Quae barbaria India vastior aut agrestior? Tusc. V. 16. 88. Vir igitur temperatus, constans sine metu . . . nonne beatus? Tusc. V. 19. 55. beatusne igitur qui hos interfecit?*) ibi. §. 56. Utrum tandem beatior C. Marius tum (sc. erat) quum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit? . . In quo beatior ille, qui huic nefariae voci paruit, quam is, qui . ? cf. praeterea Tusc. V. 36. 104

---

*) Si quis contenderit in exemplo modo allato et in eo quod sequitur, verbum „est" supplendum esse e verbo „interfecit" ego nihil contradicam: res enim eadem fere manebit.

Tusc. V. 9, 26. de Off. III. 13, 55. extr. Tusc. V. 36, 103. Fin. II. 26, 85. Fin. II. 27, 88 An dolor longissimus quisque miserrimus: voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit*)? ibi. IV. c. 28. Quid enim tam repugnans, quam (Quid est enim codd. P. V. quid enim est M. L. D.) Fin. V. 27, 81. Nat D. I. 11, 26. ibi. II. 18, 47 de Orat. III. 9, 32. Cato Maj 16, 56. Nat. D. I. §. 97. ibi. III. 6, 14. Unde porro ista divinatio? ibi. I. 8. 19. I. 13, 33. I. 13, 33. I. 15, 38. I. 24, 68. I. 27, 77. I. 28, 80. I. 38, 107. ibi. II. 4, 11. II. 23. 61. III. 6, 5. III. 29, 72. pr. §. 73. ext. III. 30, 74. II. 17, 44. Inveniuntur tamen exempla, quibus verbum substantivum a plurimis codd. servatur, veluti: Nat. D. II. 13, 36. Quid autem est inscitius quam (ego delendum esse puto) ibi I. c. 43. Quid enim (est) melius, aut quid praestantius bonitate et beneficentia. (est in plur. codd. obest, §. V. prob. Beiero et Orellio; quid est enim cod. Paris.) receperim tamen in Nat. D. II. 2, 5. pr. Quid enim est hoc illo evidentius? Legg. III. c. 1. Quid enim est elegantia tua dignius? Tusc. V. 36, 105. ex. quid est enim dulcius otio litterato? Meo judicio in ejusmodi enuntiatis propterea verbum subst. abesse non potest, quia interrogatio majore vi prolata est. de Orat. I. 8. Quid est tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio?

Huc referenda quoque sunt enuntiata interrogativa, quorum forma perbrevis et duabus potissimum aut tribus vocibus contineri solet. Has enuntiationes, quae totam sententiam in universum complectuntur, semper fere enuntiatum singulare subsequi solet, quod cogitationes uberius et accuratius exponit. Tusc. I. 14, 32. Quid illud? ibi. I. §. 34. Unde ergo illud? ibi. IV. 32, 69. Quid ergo? Fin II. 3, 7. Quid ergo? istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat? Tusc. V. 8, 21. Nat. D. I. §. 84. Fin. II. 8, 25. Quid ex eo? ibi. V. 28, 48. Quid vero? ibi. V. 26, 76; V. 29, 89. Quid ergo! Aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere, quanti quidque sit? aliter doctos et indoctos? Tusc. I. 32, 87. Fin. II. 22, 72. Nat. D. II. 7, 19. Tusc. III. 18, 39. Nat. D. I. 24, 97. Quid ad rem?**) Nat. D. II. 61, 153. ibi. III. 1, 2. pr. Tum Cotta, Optime, inquit, ibi. III. 3. 6. f. Rectissime, inquit, Balbus. Obtinet praeterea hic usus in exclamationibus; quod quidem minus mirandum, cum et aliae linguae hoc loco cum Latina consentiant. Off. III. §. 1. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna! ibi. III. §. 40. extr. At in eo rege, qui urbem condidit, non item! Tusc. V. 27, 77. Quam turpe! o dii boni! Tusc. V. 36: 104. At quantus orator! Off. III, §. 117. quam miser virtutis formulatus, servientis voluptati! Fin. II. 10, 31. quam multa vitiosa! ibi II. 21, 68. Et tamen honestum et disputatio splendida! Divin. I. 25, 52. Xenophon Socratius, qui vir et quantus (sc. fuit) ibi II. 28, 89. extr. At enim, si uratur, quam hoc suave! dicturum) Fin. IV. 3, 7. Illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi! ibi IV. 9, 9. pr. Quanta autem ab illis varietas argumentorum ratione concludentium, eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo!

---

*) cf. ann. Ottonis et Goerenzii ad hunc locum.

**) cf. Madvigii Gramm. Lat. pag. 399, qui dicit, ellipsin hanc omnibus scriptoribus esse communem, quod verum. Errat autem V. D. judicans ad formulas nihil ad me. ad te etc. subaudiendum esse verbum „pertinet“ in enuntiatis enim incisis veluti quid mihi (nobis. vobis,) cum hac re; deinde in formulis nihil ad rem verbum „est“ cogitandum est. cf. Forcell. Lex. sub. verb. esse.

Nat. D. II. 39, 99 Quae vero, et quam varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum! qui volucrum lapsus atque cantus! qui pecudum pastus! quae vita silvestrium! in exemplo Nat. D. II. 47, 121 pr. Animantium vero quanta varietas! (est) delendum puto; in Nat. D. 16. 110. Quanta autem (est) eorum multitudo! ibi III. 24, 62. Quam periculosa consuetudo! Atque haec hactenus.

Haec sunt, quae prima hac particula absolvere mihi proposui. In particula altera tractabo ellipsin verbi „esse“ in formis e participiis Activi et Passivi cum in oratione libera tum obliqua, cum verbo substantivo compositis; denique causas proferam quamobrem et quibus locis verbum substantivum abesse non possit.

---